

expositorum colligitur hec complicatio summo magistro christo ihesu sermonem dirigente et ad finem desideratissimum perducente cui est honor &c. Quis vero complicator fuerit, ad Cod. seq. dicetur; quamquam enim supra notam praedictam minio adscriptum sit: Ista expositio dicitur Radberti Abbatis, et infra eam: expositio vitalis monachi, non tamen aut ad Rupertum Tuitiensem, aut ad Vitalem de Furno O. M. pertinet, quoniam utriusque Commentarium Apocalypticum cum nostro contulimus. Incipit autem ejus Prologus: Vidit Jacob in sompnis scalam stantem super terram &c. et ipsa expositio: Liber iste diuiditur principaliter in duas partes. Prima continet primum capitulum, tamen et subdividitur in tres partes &c. Aevum certe Scholasticum ista produnt. Concluditur Opus: si alicui minus bene dixi mihi iohannes benignus indulgeat delinquenti et veniam postulanti delictorum non malicie sed ignorancie et ascribat et corrigat quitquit corrigendum uiderit. Benedictus sit ihesus christus Amen.

II. fol. 193. Henrici de Hassia Epistola: Reuerendo domino ac genere preclaro Domino Jo. de eberstain Camerario Mogentio suus ubique clericus humillimus henricus langenstein dictus de hassia &c. Vide quae de ea ad Cod. CCXLI. diximus.

III. fol. 196. Henrici de Oyta Tractatus de Contractibus. Incipit: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram &c. Finit: sed si ignorante do-
Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

mino datum sit, et ratum habuit pignus ualebit. Ut Codd. CCXLI. et aliis quos vide, si lubet, in Indice.

IV. fol. 220. Sermones XI. quorum 1. de Ascensione Domini. 2. de Trinitate. 3. et sequentes septem de Spiritu sancto, ultimus rursus de Trinitate. Omnes videntur ad Academicos Viennenses dicti; etenim Patres et Dominos reuerendos frequenter adpellat Orator, cumque Sermo secundus hac subscriptione gaudeat: *Explicit sermo de trinitate factus et predicatus per venerabilem Magistrum Henricum de Hassia doctorem sacre Theologie*, non procul a vero abfuturum putem, qui et reliquos omnes eidem Autori tribuerit.

V. fol. 246. p. 2. absque titulo Bonaventurae Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis, quod incipit: *Flecto genua mea ad patrem domini mei* &c. et Cod. DCXXXVII. indicatum est. Verum hic jam in ipso C. I. deficit. Integrum habes etiam Cod. XC.

CXXIII. VIII. D. 12

Codex chartaceus lat. Sec. 273
XV. Folior. 233. f. per duas columnas commode scriptus hunc praefert miniatum Titulum: *Dicta Militon. Super Apokalipsim.* Prolixus iis praefixus est Prologus, cujus initium: *Spiritu magno uidit ultima &c. Cum in sacra doctrina reuelata beato Johanni in Apok. sint consideranda quinque* &c. In hoc Prologo iudicium erit Autor de iis, qui in *Apokalipsin*

lypsin ante ipsum commentati sunt, quod exscribo: *Primus est Augustinus, qui tamen non exponit continue sed interpolatim verba aliqua pertractando. Secundus est Jeronimus qui exponit continue et succinctim. Tertius est Beda qui invocans (imitans?) Jeronimum aliquantulum prolixius explanavit. Quartus est Haymo qui exponit supernaturaliter et diffuse. Quintus est elimandus (Elinandus) qui exponit ad literam quantum potest. Sextus est albertus qui exponit misteriatim et confuse. Septimus est gilbertus qui Augustinum quasi in omnibus imitatur. Octavus est Joachim qui exponit preterita (nihil de futuris) eleganter. Nonus est belengarius (Berengarius Turon.) qui exponit trope loyce et summam.* Ex quibus liquet, Nostrum vix ante medium Sec. XIII. scripsisse. Quis vero ille? Nominis adsonantias sectatus per Biographos *Guilelmum* tandem *Multon*, *Melton*, *Meliton*, *de Melitona*, *Miltona*, *Milletona*, *Militona*, uno verbo *Militonensem*, ut supra per compendium in titulo, adsectatus sum, *Anglum Eboracensem*, non *Cancellarium Parisinum*, ut quidam, nec *Dominicani* Instituti, ut alii, sed *Franciscani* sodalem, ut bene rem dispescit *Quetifus* T. I. p. 488. quem utique *Tammerus* inspicere poterat. Neuter tamen Commentarii nostri meminit, quem *Waddingus* ms. in Bibliotheca Conventus *Assisi* extare testatur. *Scriptt. O. M.* p. 154. et ex eo, ut putem, *Fabricius Bibl. med.*

et inf. Lat. L. VII. p. 155. Geminum vero Exemplar possidet Bibliotheca *Augusta*; nam et *Cod. praeced.* Commentarius noster occurrit *ἀδεσποτης*, quam non parum hinc inde a praesenti mutatus. *Fol. 88. ad v. ult. C. XIII.* eadem legitur numeri 666. Supputatio, ut in *Cod. seq.* nisi quod hic in Graeco substitutum sit *ἀενοουμε*, quod *Negatio* (*ἀενοσις*) exponitur, quia ipse (*Antichristus*) *negabit Christum et fidem ejus*, et reipsa etiam numerum 666. reddit. In ora tamen summa folii etiam alterum fictum illud *ἀντεμος* adscriptum est, ut adeo Commentator ille *Pragensis* in vitula Nostri arasse videatur; Quamquam uterque ex antiquioribus fontibus haurire potuit; *αντεμος* enim jam apud *Ticonium* et *Primasium* in *Comment. Apocal. ἀενοουμαι* apud *Hippolytum* in *orat. de Consum. Mundi* occurrit. Vide, si lubet, *Blasii Viegas Commentar. Exeget. in Apoc. Lugd. 1602. p. 750. 4.* Finis nostri, ut *Cod. praeced.* et subscriptum: *Explicit Militon super Apocalipsin.*

II. fol. 133. sequitur alter in *Apocalypsin* Commentarius hoc principio: *Apocalipsis ihesu cristi quam dedit illi deus etcetera. Nota ad intellectum libri et de distinctione etatum quidam sic distinguunt sex etates &c.* Prologum hunc excipit alter; *Omnes qui pie volunt in christo vivere. Ita incipit prologus super apocalipsin et dividitur in quinque partes. Prima pars tangit materiam libri &c.* Ip-

sa. *Expositio: Apokalipsis iesu christi quam dedit illi deus. &c. Liber iste prima sui diuisione diuiditur in tres &c. Prologus secundus commentarius est in Gilberti Prologum in Apoc. quem uti et Haymonem et victorinum praeter antiquiores multum sequitur in exponendo Noster. C. XIII. v. ult. comparent Antemos et Dichux, ut in Milionensi, nihil tamen de Hebraeo. Finis est: Amen. Hic Jo. optat 7. ecclesiis et per consequens omnibus fidelibus pacem christi et gratiam, quam concedere et prestare dignetur, qui sine fine &c. Subscriptionem imperfectam destituit Librarius: Lectura super appok. per manus rinch vel ruith et — —. Cum Lecturam dicat, exiguam in Autoris nomine iacturam facimus.*

CXXIV. VIII. D. 10

²⁷¹ Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 145. f. corrente calamo per duas columnas descriptus exhibet: I. prolixum Commentarium in Apocalypsin S. Johannis, cujus initium: *Apokalypsis iesu christi. Omnipotens Deus suam sponsam videlicet sanctam et immaculatam ecclesiam volens more pij patris de nouissimis periculis instruere &c. Fol. 99. ad v. ult. C. XIII. per Bestiam autor Antichristum intelligit, numerumque 666. tribus linguis ita ei adplicat. Apud Graecos Antichristum ait dici Antemos id est contrarium Christo, apud Latinos Dichux, quia ipse dicet se lucem mundi*

Hebraicum vocabulum corruptum habet, et solem, interpretatur, quia Antichristus dicit se esse solem iustitiae. Quodsi fortasse chaldaicum ܫܠܫܘܢ scribe voluerit, assertum suum certe evicit, ut subputanti patebit. Sed cui non in mentem illud Ciceronis veniat: *Ratio quidem hercle adparet, argentum orgetur.* Ad calcem legitur: *Explicit pustilla super Apokalipsim finita in die sancti henrici prage anno domini M° CCCCXI° per manus Andree.* Ne ad virum doctum Andream de Broda Theologum Pragensem subito referrem, vox pustilla absterruit. Lectionibus tamen Academicis scriptum hunc Commentarium vix dubitem.

II. fol. 140. p. 2. *Incipit tractatus mansionum XLII. secundum beatum Jeronimum. Initium: In septuagesimo septimo ps. ex persona domini dictum credimus &c. Deficit cum Mansiono XVIII. et extat integer T. I. Opp. Hier. edit. Vallars. col. 463. titulo Epistolae LXXVIII. ad Fabiolam.*

Codici adtexta est Membrana continens Testamentum Marefs seu Marci braseatoris ciuis noue ciuitatis Pragensis volentis ad beatam Mariam virginem in aquis granum causa devocionis visitare, eligentis prudentes ac circumspectos viros Johannem hoffman pro tunc consulem et Chotkonem de Broda de communitate ciues noue ciuitatis Pragen. in commissarios tutores disbrigatores et defensores ejus et roborantis illud figillis prudentum virorum Johannis dicti Oczafs iudicis